CONCIO

Habita in Solenni Conventu

694.e.17

4

CLERI LONDINENSIS

AD

COLLEGIUM SIONENSE,

IV Kal. *Maias*, A.D. MDCCXIII.

Per *JACOBUM GARDINERUM*;
Ecclesiæ S. MICHAELIS juxta *Vicum Cur-vum*, apud LONDINATES, Rectorem.

OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO.

Prostat venalis apud *Hen. Clements*, sub Signo *Lunæ Falcatæ* in Cœmeterio *Paulino*, LOND. 1713.

Imprimatur,

BERN. GARDINER.

Vice-Can. *Oxon.*

Sept. 17. 1713.

Reverendo admodum in CHRISTO Patri

D. JOHANNI

EPISCOPO

LONDINENSI,

REGIO

De PACE concilianda ULTRAJECTI,

LEGATO PRIMARIO,

AUGUSTISSIMÆ

ANNÆ REGINÆ

A SECRETIORIBUS CONSILIIS,

COLLEGII *SIONENSIS*

INSPECTORI;

Hanc qualemcunque Conciunculam

Summæ Obſervantiæ

Pignus & Monumentum,

Dicat, conſecratque

Inſignium Ipſius Virtutum

Cultor Devotiſſimus

J. G.

Reverendo admodum in CHRISTO Patri,

D. JOHANNI

EPISCOPO

LONDINENSI,

REGIO

De Pace conciliandâ ULTRAJECTI,

LEGATO PRIMARIO,

AUGUSTISSIMÆ

ANNÆ REGINÆ

A SECRETIORIBUS CONSILIIS,

COLLEGII SIONENSIS

INSPECTORI;

Hanc qualemcunque Concinnculam

Summæ Obſervantiæ

Pignus & Monumentum,

Dicat, conſecratque

Indignum Ipſius Virtutum

Cultor Devotiſſimus

J. G.

II Cor. II 16.

—Καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός;

—*Ad hæc Quisnam sit idoneus?*

TAM variis, gravibusque Laboribus urgetur omnis sub Cruce militans Sacerdos, ut, ex quo primum se stiterit Sacris initiandum, Animo valde anxio & sollicito sit, oporteat.

Quod si *Paulus* ille Sanctus, indefessus & felix Apostolus veritus est, *ne forte, cum alios docuisset, ipse foret reprobus*; quanto magis nobis Homunculis cavendum est, nè Partes illas, undequaque difficiles, quas Christus nobis sustinendas dedit, detrectemus, & in Postremis habeamus.

Quisquamnè parum esse ducet Patrem Omnipotentem Filiorum suorum animas ei curandas mandasse, dignum censuisse qui præficeret Imprudentibus Præceptorem, Impatitis Magistrum, ut Desipientibus lucefet, ut Errantes in rectam Semitam restitueret? Reputate, quæso, mecum,

(Venerandi

(Venerandi Fratres) quale Ingenium, quàm defæcatos animos Arduum hoc Munus à Nobis exigat? De Gregibus noſtris Tenelli ſunt multi, & Infirmi, quibuſcum clementer; Protervi multi, & Iracundi, quibuſcum placidè agendum eſt: Sunt etiam malè Morati, Improbi ſunt, & Superbi, quos ſeriò admonere de nequitia ſua, & nonnunquam ſeverius corripere & increpare debemus; ita tamen ne prorſus ab Ovili abſterreamus, aut nobis reddamus Malevolos. Premenda ſunt magni Gentium Apoſtoli Veſtigia, qui fuit *Quidvis Quibuſvis, ut omnino aliquos ſervaret*; ſtrenuus interim Chriſtianæ Fidei Propugnator, & ab Aliorum peccatis immunis ſemper, & illæſus. Quanta hic prudentia, quanta ſcientia, quali Eloquio Opus eſt, ad explicandam, ad ſtabiliendam Sacræ Veritatis Authoritatem! *Quiſnam eſt Servus ille fidelis & prudens, quem conſtituet Herus ſuper Familitium ſuum, ut ei tempore ſuo demenſum præbeat*? Qui Impuberes Lacte, Adultos ſolido Cibo paſcere; Qui arguere, corrigere, cohortari ſumma cum Lenitate & Doctrina; Qui denique benefacere, & male pati, ad exemplum Dei & Servatoris noſtri, pulchre callet? Quis, inquam, mortalium ſatis pura mente & caſtis Manibus præditus; Quis Eruditione, Pietate, purgatis affectibus, Moribus Inculpatis adeo ab Omni parte inſtructus, ut Deum inter, & Homines medius verſetur, & Salubérrima Redemtoris Eloquia rite tractare & diſpenſare poſſit?

Poſt-

Postquam Apostolus paulo ante Thesin Nostram, Deo Gratias egisset de fausto Laborum suorum exitu, actutum, in ipso Exultationis Limine, reprimit se; quod *Romæ* sæpius factitatum accepimus, cum Duci Triumphanti aliquis à Tergo assidens, auremque vellicans, subinde admonuit, *Respice Imperator, Memineris Te Hominem esse.* Non segnior Apostolus Animo suo invigilat ne nimio efferatur gaudio (fructu illo, & βεγεβλιμ bene factorum) quod tamen nisi mature reprimatur, Humillimorum mentes inflare, & in sui admirationem rapere solet.

His igitur verbis temperat Lætitiam, --- *Quisnam ad Hæc idoneus?* quasi dixerat; Prospere quidem prædicavimus; Nobis enim enarrantibus *pervasit Evangelium, velut dulcis Odor, per Omnes Locos; & Sonus ejus exiit in omnes Terras.* Quanquam autem Reprobis & Incredulis non aliter nocuit quam teterrimum Virus; iis tamen qui servantur, Vitalis fuit Odor ad Vitam; & Deus & Homines favent nobis de salute animarum sollicitis. Nosne vero Christi cognitionem divulgavimus? Nosne sumus suavis ille, quem diximus Odor? Quorsum vero insignes hos Titulos nobis imprudens attribuo? *Nefas gloriari nisi in Domino. Nos serimus, nos irrigamus, à Deo autem est Germinatio, & Proventus*; Non Nos ipsi, *Deus est, qui nos idoneos reddidit Novi Fœderis Ministros.*

Hoc

Hoc igitur Apostoli Effatum, in duas Partes distribuemus. Et *Primum* expendemus, quam Improbus sit Labor Christiani Sacerdotis fideliter Munere fungentis. *Deinde* Humeri quam sint impares, si Deus Facultatem Nobis denegaverit. In primis Verba facturus sum de binis illis, quæ Nobis Opus sunt adminiculis, ad Officium Nostrum commode peragendum; solida nempe sensus Evangelici Scientia, & Facultate proferendi hunc sensum tam perspicue, ut & alii prolatum statim intelligant. Utrumque hoc Donum pollicitus est Christus Apostolis, *Ego*, inquit, *dabo Os & Sapientiam*; i. e. solidum Evangelii sensum, & eundem clare explicandi solertiam. Scientia ideo Nobis est pernecessaria, ut Rationem consequendi vitam æternam Hominibus liquido expediamus. Sciendum scilicet, quænam sint Gratiæ Media, quænam Promissa Evangelica, quænam Novi Fœderis Leges, quænam Immortalis Gloriæ per Christum Spes & Fiducia. Quæ omnia in Celebratione, Stipulationibus, Ritibusque utriusque Sacramenti Nobis exhibentur; & in tribus illis Religionis Fontibus, *Symbolo Apostolico*, *Oratione Dominica* & *Decalogo* breviter memorantur. Hinc, inquam, cibo & paucis exprimere licet, quicquid credendum sit, quicquid orandum, quicquid denique faciendum. Fusius tamen describuntur in Sacris Veteris Novique Instrumenti Paginis; unde, quasi pleno de Flumine, exsorbeamus totam supremi Legislatoris Voluntatem.

Hanc

Hanc, quam loquimur, Scientiam, Veteres *Fidem* nuncuparunt; Ejuſque Regulam, *Regulam Fidei*, Morumque Normam; quam, à Theologica, quæ σύνεσις, & γνῶσις appellatur, diverſam eſſe ſtatuerunt. Ita quidem docet Optimus inter Antiquos Magiſter *Irenæus*, cui credere fas eſt, utpote in Eccleſia *Orientali* nato enutritoque; quanquam deinceps apud *Occidentales* celeberrimus emicuit *Epiſcopus*.

Hæc eadem Scientia, ſicut Omnibus quodammodo convenit, Illis multo tamen magis, quorum alios docere & præire eſt.

Exinde Omnium Mortalium Optatiſſimæ ſortis Paſtores, ſi huic incumbentes ſtudio, Precibus ſolis, laudibuſque Divinis, & omnibus bonis Operibus aſſidue animum adverteremus! Chriſtiana namque Religio, ſi primam Inſtitutionem & Puritatem ſpectetis, exponit Nobis artem bene vivendi, quam illibata Domini Sponſa, *Eccleſia* amplectitur & profitetur. Fundamentum vero cui innititur, eſt *Chriſtus Crucifixus*, cum *Articulis* minime multis ex eodem deductis; quorum Omnium Propoſitum eſt, ut Meliores ſimus, potiùs quàm Doctiores.

Cæterum (quod *Clericis Laiciſque* Moleſtias haud Mediocres faceſſit,) vah! quanta ſeges *Controverſiarum* exorta eſt; Quantum Doloris, Acerbitatis, & Ægritudinis animi, creſcente hac Scientia, eadem Fœcunditate ſubolevit! Piget meminiſſe, pudet recitare.

Iſtud videte, ſultis, ut, per inſanam & faſtuoſam quorundam Scientiam, per inſignem aliorum Oſcitantiam aut Vecordiam, dum Hic Nihil ignorare, Iſte Nihil ſcire, Vitam putat eſſe jucundiſſimam, nova Religionis Capitula quotidie conduntur; olim vero bene condita lacerantur; inutiles Diſceptationes moventur; Impietas & Superſtitio, agmen agentes, graſſantur. Inde factum eſt Theologiæ ſtudium Faſcis iniquiſſimus; nec ullus datur Lucubrationum modus. Adigitur Theologus animum intendere, non ſolum ut cognoſcat *Sapientiam*, verum & *Stultitiam* & *Veſaniam*. Diſcutiendæ ſunt Imperitorum Ineptiæ; ventilanda inſani Cerebri Somnia; tractanda Fanaticorum Deliria; pellenda Rixantium Averſio & ἀνταπόδοσις; Error denique per mille Latebras refugit Subdolus, & ſibi cavet. Hanc malam Moleſtiam exhibuit Deus Humano Generi ad exercendos Animos: Hanc licentiam indulſit Impudenti & Nequiſſimo *Satanæ* (ἀλλόκοτον καὶ μυσαρὸν πνεῦμα vocat *Nazianzenus*) ſeſe ut Noſtris immiſceat Rebus; utque mentes Hominum torqueat implicetque.

Eſto tamen hoc Nobis, cum *Tartareo Principe* ejuſque *Legionibus*, Certamen acerbe Religioſum; at interim de Laurea minime deſperandum Dei Redimentis victricia Arma ſecutis.

Ut enim nihil ex Operibus Naturæ, utcunque noxium aut inutile, uſui aliquando non vertatur; identidem & Mundi Intellectualis (quod dicere

dicere liceat) Peſſima quæque, cum bono Deo, in commodum cedent. *Cacodæmones*, nocentiſſimi Errores à Propitio Numine ita gubernantur, ut inde Lucri aliquid Chriſtianiſmo adjiciatur. *Oportet enim eſſe Hæreſes*; ſic Deo viſum eſt, ſic Homini conducit; ſic, quæ nunc eſt, conditio Noſtra flagitat ad Fidem exercitandam, probandam, firmandam.

Rebus ſic ſtantibus, Scientia Theologica, ob Lubricum ſortis noſtræ fluxum, ob Humanam Naturam commaculatam, plurimum ab Antiqua diſcrepat.

Quis dubitet quin Amantiſſimus Servator venit Terras Pace donaturus? Atqui ait, *Non veni conciliatum Pacem, ſed Bellum*: Ea nempe jurgia, eas Tragœdias præſenſerat, quas Mundus, ipſius Religioni infeſtus, erat moturus.

Qualis tandem, & Quantus erit ille in Domo Dei *Operarius non erubeſcendus, recte ſecans Veritatis Orationem*?

Multiplicium in primis *Linguarum* particeps, Penetralia Dei expedite recludet. Quanquam enim *Sacroſancta Volumina* (Deo Gratias!) huc uſque conſervata ſunt, neque voracibus longinqui Temporis Dentibus exeſa, neque Perſequentium Ignibus & Rabie ſublata; Nobis tamen incognita ſunt, utpote peregrina; nec niſi multo ſudore & oleo enucleanda. Qui tamen *Chaos* antiquum jubare ſuo perfundens illuſtravit; Idem ille Omniſcius, Oracula, ex his Tenebris, in

manifestam Lucem nobis asseruit. Quippe, per omnes annos, præcipue vero post Religionem sinceritati suæ restitutam, Viros tali dedit Indole & Ingenio præditos, ut *Sacras Linguas* accurate perceperint, & aliis ad percipiendum faciles præstiterint: Et Hoc solum infandam *Jehovæ* Misericordiam in Familiam suam mire eloquitur. Quid enim aliud quam Spiritus ille Divinus, qui olim insederat Apostolis, eisque vario sermone fari dederat, tam multos ubique semper accenderit, ut, posthabito Disciplinæ fastidio, omne Studium & Operam in *Linguarum* Scientiam eruendam impenderent? Quod ni factum, *Liber Obsignatus* adhuc latuisset. Hæc ego si tacuissem, omnia Erudito huic Cœtui penitus perspecta fuissent. Proinde ad alia dicenda progredior.

Ars recte ratiocinandi, cum vera *Philosophia* probe intellecta, succedaneum locum vendicat ad perficiendum *Theologum*. Ex Lapsu enim ægrotamus, & insanimus Omnes: Minime vero pristina Mentis sanitas, absque Hujus Peritiæ subsidio resarcietur. Ne sit ergo Medicus Spiritualis Hac ex parte rudis & insciens.

Execrandam *pravarum Opinionum* Sobolem, quibus dilaniata fuit, & etiamnum dilaniatur Orbis Christianus, impurus aliquis Affectus enixus est: Fœtus quippe, aut infirmi & male sani intellectus; aut fervidi nimium, & audacis Animi; aut ventosi supra modum, & subtilis Spiritus; aut alicujus denique temerariæ & indomitæ

domitæ Libidinis. Atquin, sinceræ *Philosophiæ* Scientia, *Naturæ* scilicet Rerum, cum variis earum Legibus, & pulcherrimo Ordine ita disposito, ut Mentem Humanam assidue tangat, & Supremum Conditorem suspicere admoneat; cumque Animi Operationibus & Consequentiis inde deductis; (circa quas, & *Naturalis* & *Moralis Philosophia* maxime versatur;) Talis, inquam, Scientia non modo curandis Hæresibus, & mendosæ Religioni optime inservit; verum etiam, Solatio prope Divino, Dolentes & Abjectos lætificat; qui Causas & Rationes rerum ignorantes, aut Naturales animi Motus, aut ex invalido Corporis Temperamento subortos, cœlitus inspirari sæpe persuasum habent.

Hæc autem non ita accipi velim, quasi negem Spiritum Dei non raro in Mentem Humanam influere, pia Vota Pectoribus nostris indere, motusque puros ciere; quos *Æsculapius* Spiritualis caute & prudenter ad salutem Patientis attemperabit. Ut enim insanus *Enthusiasmus*, aut Enthea vis animi nequaquam fovenda est: Sed neque sunt omnes Mentis agitationes inter Mechanicas annumerandæ; proculdubio enim nonnullæ aut Sancti Spiritus Impulsibus tribuendæ, aut Ministerio Angelorum, qui *Saluti Animarum prospiciunt & invigilant*.

Ne tamen (quod absit) mali Animi Impetus faniſſimi Zeli pretio venditetur, valde juvat ars *dijudicandi Spiritus*, (testante Apostolo;) ut hi motus

motus Animorum ad optatiſſimum finem dirigantur; ſolidum intelligo, ſobrium, & conſtantem Virtutum Omnium Amorem; quem quidem *Hujus Eccleſiæ Præpoſiti* (ut ſine Adulatione aut Arrogantia gloriari auſim,) præter cætera commendarunt & auxerunt.

Intellectus Animique Facultatibus per Doctrinam & *Philoſophiam* excultis & caſtigatis, diſſipatur illico Ignorantiæ & Erroris Nebula; triſtis Superſtitionis umbra evaneſcit; animus libertatem aſſequitur Honeſtam; & exploratis Hominum affectibus, origo amentiæ & furoris in rebus Sacris protinus elucet patetque.

Opera *Naturæ*, Geſta *Providentiæ*, & Univerſam compagem, ex ipſa Rerum Veritate (non ex abſurdis quorundam *Hypotheſibus*) propius intueri, & gravi tanquam trutina ponderare, nobilitat animum, erigitque longe ſupra ſpiſſas hujus carnis fæces, ad plenam celſiſſimi & adorandi Opificis agnitionem. Hunc Cultum (heu nimis ubique jacentem!) Ratio & Natura monſtrant & edicunt.

Paucis ut abſolvam; Hominem de Novo reficere, Virtutis & Vitii terminos deſcribere, Mentem Religione & Amore Divino imbuere, Opus eſt (ſi quod aliud) graviſſimum, grande Onus, & Sacrorum Antiſtite in primis dignum. Nec dubitat aliquis affirmare hanc Provinciam non ſolum majoris cenſeri Dignitatis & Gloriæ; ſed multo majoris Periculi, quam ingentis Exercitus

tus Curam & Imperium. Plures enim & acriores sunt Animæ quam Corporis Hostes: Foris *Diabolus* & Seculum malignum; intus Cor fallax & infidum. Quæ (Deum Immortalem!) Prudentia, quantum Cordis satis erit, ut νήψατε dolumque Tentatoris præoccupemus; utque Libidinis vires, & nostræ Virtutis imbecillitatem compertam habeamus!

Quod autem ad Obsequii Christiani Regulas spectat, unquamne aliqua occurrit, vel festinanti oculo non satis perspicua? Una aut altera generalis, qualis, *Quod Tibi fieri vis, alteri feceris*; &, *Omnia vestra cum Charitate fiant*, cunctis fere quotidianæ Vitæ Negotiis accommodari possit; clariusque Dubitantis Conscientiam illuminat, quam plena Casuisticorum Dogmatum Plaustra, quæ Tædium afferunt, Scrupulos injiciunt, Caliginem Animo suffundunt; prorsus quasi tradita ab Istis, qui præ se ferrent Artem docendi, quam prope Peccatum quis accederet sine Peccato, potius quam ut justum Humanis actionibus perpendiculum statuerent.

Practicæ autem *Theologiæ* quot sunt Amœnitates, quanta Utilitas! Scientia iis suffulta Principiis, quæ, Animæ Rationali congenita, Omnibusque vitæ Officiis idonea, neminem ignorantem malefacere patiuntur. Scientia denique quæ tum Finem, tum Media Religionis complectitur; sine qua Ipsa Religio ne quidem vivere aut valere queat.

Sed

Sed Theologorum Animo liberali nulla eſt ingratior Exercitatio, quam Controverſiarum aſperum Senticetum.

Noſtras, quæ vigent hodie, moroſas contentiones, ut ultro citroque agitari mos eſt, *Vos* quam horrentes & indignantes aſpicitis, ex Oculis, ex Ore, Geſtuque, ſatis videre videor.

Fertur *Eraſmus*, cum Opera ſua in ſingula Volumina diſtribuiſſet, reſpexiſſe ad multiplices Defenſiones, quas in ſui Calumniatores excudere coactus fuit, & cum Gemitu exclamaſſe, *Me miſerum! & Hæ juſtum Volumen efficient.* Cavillationibus, videlicet, frequenter reſpondendo, & iniquas calumnias abſtergendo, impleverat Operum Tomum integrum: Infortunium ſane deplorandum, & ab eo jure deploratum.

Quis duram Optimorum Sortem non miſeratur; qui cum Veritatem afferere, Homineſque deceptionibus ſuis ſpoliare aggrederentur, Inimicorum Contradictionem, Amicorum inclementes Cenſuras paſſi ſunt; ſuſceptam denique Cauſam omittere coacti, ut Seipſos tuerentur?

Non eſt, mihi credite, non modicus eſt Cruciatus, ſi Quis piis deſideriis & dulcibus Alloquiis ſeſe oblectet, ut Idem, quaſi in Piſtrinum conjectus, inanium chartarum Lectione angatur; Omnibuſque Patribus, Conciliis, Scholaſticis volvendis diſtringatur; non aliud agens, quam ut Dogmata è medio tollat, quæ plane Mendacia ſunt, clamantibus Senſu Communi, manifeſta Ratione,

Ratione, & ipsâ Experientia. Proh Pudor! Quantus Vir quam indigne occupatus, in Ænigmatibus futilium Quæstionum solvendis, in vibrandis Armis contra vanas cerebrosi alicujus Chimæras! at non semper vanas, aliquando etiam audaces & Sacrilegas.

Quid aliud sunt illa temere Dictata de *Natura Dei* ejusque *Decretis*? Dum veretur aliquis ut satis Potentiam Divinam extollat, Bonitatem interim, & Misericordiam lædit. Rursus alius dum clementissimum Deum laudibus celebrat, minus constantem & Justum depingit: & sic,

Dum vitant Stulti vitia, in Contraria currunt.

Quam adamantina *Necessitatis* & *Fati* Vincula supremo Numini injecerunt arguti & fallaces Disceptatores, Hominumque mentes stolida Superstitione & Horrenda Dei Imagine territant! contra meridianam Sacri Codicis lucem, quæ unice vera Æternæ Majestatis cognitione Intellectum humanum irradiat.

Sed, amabo, cur tanta Fidentia nitimur, cur tanta ferocia in duriorem Partem? cum diligentò, & satis attento animo verisimile fiat, Apostoli verba ad *Romanos* aliud innuere, ac vulgo intelliguntur: quando quidem *Pharisæos*, non *Christianos* alloquitur; *justificari Hominem* docet per *Christi*, non per *Mosis* Legem; *Judæos* esse, non *Christianos*, quos Deus rejecit; rejecit autem, non ab omni spe Misericordiæ, sed ne essent ejus, ut antea, Peculium; rejecit, *ut provocaret ad*

æmulationem, & ſic Omnem Iſrael ſalvum faceret.

Verum hunc in morem dimicat Literatorum Schola, & tumultuatur male poſitis ſuis Commentis; Scripturas lacerat & torquet, ut ſenſum quem non habent, tandem fateantur. Hinc illa Diſſidia & Schiſmata quibus Eccleſia multifariam diſtrahitur. Non quod nefas ſit de Sanctiſſimis Religionis argumentari; imo in commodum & Solatium nobis cedat, dummodo humiliter & modeſte fiat, in Reverentia & timore Domini; ſemperque vehementi deteſtatione repudiatis quæcunque aut *Sacris Literis*, aut Lumini *Naturæ*, aut Principiis rectæ *Rationis*, aut denique ſtatutis *Eccleſiæ* Regulis, & univerſæ *Traditioni* contradicunt.

Fallax fuit *Philoſophia*, quæ argutiis ſuis & *arte cauponaria* (ut cum Apoſtolo loquar) primum Evangelii Integritatem vitiavit.

De hoc queritur ſimul atque dixerat, *Quiſnam ad Hæc ſit idoneus*? Inde eſt quod ſub pondere Sarcinæ ingemuit, gravatus diſſenſionibus & Hæreſibus quas *Philoſophia* procreaverat.

Nam *Græcorum* Philoſophia in *Judæorum* Myſteria ſemel deducta, extemplo obortæ ſunt Lites, & in partes ſeceſſum.

Cum *Sadducæis Epicurei*, cum *Eſſenis Pythagoræi*, cum *Phariſæis Stoici* coaluerunt. Cum nondum *Macedones* imperare deſierant, uſque ad Beatiſſimi Salvatoris ingreſſum, Atheiſmi & Hæreticæ peſtis Contagio Gentem invaſit. Futiles

vero

vero Quæſtiunculæ, & minuta Placita veram Religionem & Charitatem funditus ſubruerant. Haud amplius Mores ad Decalogum redacti ſunt; nec quid ſibi volebant Ritus & Ceremoniæ, ſatis perſpectum.

Circiter id tempus quod Dominus & Apoſtoli in Terris agebant, extitere *Philoſophi* qui tunc Ελλενιστοὶ audiebant; Quibus *Judæi*, præſertim *Helleniſtæ* (illo Nomine inſigniti, tam quod *Græce* loquerentur, quam quod Doctrinam, Mores, & Studia *Græcorum* affectarent) immane quantum dediti fuerint: Atque, ut hujus Sectæ ſtudioſi, *Chriſtiani Judaizantes*, Spreta Chriſti Simplicitate, Miſcellaneam quandam Religionem, ex *Judaicis*, *Chriſtianis*, & *Ethnicis* Dogmatibus, conflabant. In quam quidem farraginem multo acumine invehitur Divus *Paulus*, in ea quam ſcripſit ad *Coloſſenſes* Epiſtola.

Judæorum nonnulli omnes Humanas Actiones ex *ſiderum Influentiis* pendere rebantur: Quos contra Diſputationem inſtituit *Jacobus* Apoſtolus in primo Epiſtolæ Capite, ubi ad vocabula Artis *Aſtronomicæ* eleganter & ingenioſe alludit.

Alii nimis efferebant *Liberum Arbitrium* (decantatam illam Philoſophorum Αὐτεξουσίαν) eo uſque ut *Gratiam* adjutricem aut pernegarent, aut parvi facerent; in propriam juſtitiam (ſi Dis placet) innixi; quaſi ſuis ipſorum Viribus, nulloque auxilio Divino, univerſum Juſtitiæ Opus abſolvere valerent. In Hos ſæpius intenditur *Sermo Pau-*

linus, præcipue ad *Romanos*; ubi Gratiam Dei miris Laudibus evehit, probatque ad Salutem summopere esse necessariam.

Alii insuper Hæretici, nascente Ecclesia, Christianam Religionem Philosophica scoria depravantes, prorepserunt; professi interim limatiorem cultum per *Intercessionem Angelorum* pro Hominibus apud Deum deprecantium. Solenne fuit iis (more *Pythagorico*) Carnibus abstinere, Corpus Cruciatibus subigere, & tristius multo vitam instituere quam Christus usquam præceperat.

Gnostici etiam, *Simone Mago* oriundi, Philosophicam quandam, seu verius Poeticam Theologiam Christianæ Fidei ingerebant. Hos Apostolus, non uno in Loco, perstringit. Eorum æmuli, *Valentiniani*, absurdas suas Genealogias de Mysteriis *Ægyptiorum* deprompserunt: Quælibet enim Ethnicorum Philosophorum Schola aliquid Vitii in Ecclesiam Christianam transtulit.

E Stirpe *Pythagoræa Esseni* prodierunt; qui Christo adscripti, non tamen veterem Ducem dimisêre; Ethnicæ Scholæ Sordibus in Sacros Latices immissis. Nec aliud de *Monachis* primævis statuendum arbitror, quam Eos Christianorum Philosophantium fuisse Reliquias, piasque Fraudes retinuisse Scholarum; unde Illis Modulus & Origo.

Novatianorum Hæresis *Stoicos* Patres habuit; *Manichæorum* vero *Empedoclem* & *Pythagoram*; ex

ex Eorum enim Scaturigine derivata fuit. Et, ne nimius in memorando sim,

Quis nescit *Arianorum* Hæresin, quæ cum spurcissima Prole & Incremento Ecclesiam pessime discerpsit, *Platonis* & *Aristotelis* Philosophiæ plurimum debuisse; ut & Studio litigandi de Verbis, potius quam de Rebus?

Imo, ut ingenue fatear, ipsa Ecclesia (de Patribus ejus loquor) non penitus Philosophiæ labem effugit. Stylus enim, Spiritus & Dictio *Ignatii*, *Clementis Romani*, & Aliorum de Primis, admodum diversa sunt ab iis quæ sequentia extulerunt Secula.

Platonicis autem Philosophis placuit Figuratum & Sublime dicendi Genus. Hi postquam Ecclesiæ accesserunt, Fidei Dogmata, non eadem, qua prius, simplicitate, tradita feruntur. Hujus varietatis Exemplum proferre non pœnitebit.

Antiquissimi Scriptores *Christum*, disertis verbis *Deum* nominant. (Sic ab ipsis Ecclesiæ Primordiis agnitus est; ut non modo ex Notissimis Sacræ Scripturæ Testimoniis, sed ex *Plinii Junioris* Epistolis abunde constat:) disertim, inquam, *Dei* Nomine, sine aliquo additamento, Eum indigitant. At Sequioris Ævi Doctores alios multosque & magnificos Titulos ei affinxerunt. Et magis etiam hoc Scribendi cacoëthes invaluit, ex quo *Pseudo-Dionysius* ille celebris Omnium Manibus tractari cœpit: Cujus Figmenta (ad Mentem Apocryphorum inter *Judæos* Scriptorum,

rum, & recentioris Ætatis *Platoniſtarum* pleraque concinnata) ſuppeditarunt Eccleſiæ *Romanæ Myſticam* ſuam & Subtilem *Theologiam*; quam quidem diu excoluit fovitque; donec, Volventibus annis (quas ob Cauſas Ipſa noverit) neglexit, & ſub Cenſuram revocavit.

Fatendum eſt amplius, Patres aliquammultos, utpote quandoque *Cauſidicos*, aut in *Scholis Sophiſtas*, ſæpe Res prodigialiter, & ſupra omnes Naturalis, juſtæ & Sobriæ Eloquentiæ Regulas exaggerare: Quod complures Theologos aut luſit, aut miſere fatigavit; dum, ſalva Patrum Autoritate, in pugnantibus Sententiis componendis deſudarunt. Illud cernere datur in nimiis de Euchariſtia Tractatibus, de qua vix ſibi conſtare nonnunquam videntur; exinde Tot & Tanta Volumina ſunt enata.

Hæc utcunque à Me libere, non tamen eo Animo dicta ſunt, quaſi *Patribus* Fidem abrogare velim; Quorum Venerandam Autoritatem Omnes vere Eruditi ubique exoſculantur; præſertim dum Senſum & Opiniones Temporum queis Ipſi floruere, Calamis ſuis fidelibus produnt: Nobis pie & bona Fide Lampada tradentes, quam grata Manu accipimus, Talpis cæciores alias manſuri.

Multo minus ſanam & ſolidam *Philoſophiam* parvi faciendam exiſtimo; quæ, ſecundum Dei Verbum (Unicam illam Fidei Normam) certiſſima Nobis ad recte vivendum adjumenta præſtat.

Nec

Nec Arti *Rhetorices* Ignominiæ Notam inurere volo; Cujus Flores quam ſuaviter Hominem Theologum ornant, & Audientium Corda permulcent, importunum eſſet, in tam Celebri Oratorum Corona, enarrare.

Minime gentium; Nihil horum mihi unquam venit in Mentem: Hæc tantum oſtendere volebam, & Res Optimas à peſſimo abuſu non eſſe immunes; & Theologorum Provinciam immenſis implicari Laboribus, Remque eſſe Omnium difficillimam.

Errores, ut novimus Omnes, undique juxta Veritatem pullulant: quæ tametſi Animæ ſuaviſſimum ſit Pabulum; quam amarus tamen, quam odioſus eſt Erroris Sapor? Eum certe carperet Nemo, nec primoribus labris attingeret, niſi Veritatis Speciem indueret.

Hei Theologis ærumnoſis! Quantum Vitæ hiſce ingratis Speculationibus abſumitur, dum Informia Monſtra, & Prodigia Mundi Intellectualis contemplari, verum à falſo ſecernere, ementitos colores, quos Fraus & Aſtutia ei illeverant, abluere, primamque Pulchritudinem reſtituere, neceſſe habent? Jure igitur Sacerdos *Omnem meruit Honorem*; celſo tamen Labori nuſquam parem, apud æquos Rerum æſtimatores.

Sed ne prolixius Oratio excurrat; Si tantæ molis eſt Theologicam comparare Scientiam; Omnia quæ Theologi ſunt, prudenter adminiſtra-

re,

re, Quale tandem Opus erit? *Si Dei Agricalturæ*, & *Ædificio* tanta Materies & tam Varia Instrumenta expetuntur; quis Sationi, quis irrigationi unquam sufficiet? Quam bene compositus, quam Omnibus Numeris absolutus erit Architectus ille, qui Dei Templum solidis stabilire Columnis, & scite deinceps extruere poterit?

Religionis Fundamenta tam feliciter ponere (ut olim in *Templo Solomonis* constructo) sine Malleorum aut Securium strepitu, nullis Litibus, nullis Controversiis Tyrones circumstrepentibus; ædificare inter Mille turbas & pericula, (ut cum *Templum* dejectum denuo reficeretur) altera Manu Operandi, altera Bellandi Arma tenente, res est haud vulgaris Ingenii, Virtutis & Sapientiæ.

Ipsissima, per *Catechismum*, Elementa teneris animis infundere, nonnulli prima fronte Negotium levidense & anile autument. Verum Eximius Ille Præsul *Usserius* Doctissimum quemlibet ad tentandum provocat; neque dubitat quin perplexius quiddam experietur in rudi Plebecula erudienda, quam in Academica Quæstione ventilanda, aut Nodis *Scholasticæ* doctrinæ explicandis.

Artificis, est potius quam Artis, ita concionari ut quis delectet. At Concionando flectere Animum, permovere Conscientiam; nec solum Affectibus dominari, sed & Omnes ad Tecum sentiendum pertrahere; non satis est Artem tenere

Oratoriam,

Oratoriam, sed (quod summi Judices in ipso *Oratore* præcipuum existimârunt) Virum esse Moribus integris & honestis. Ille demum Aliorum animos Oratione sua commoverit, qui primum Ipse commotus est. Sit Orator Christianus Omnibus persuadendi Artibus perpolitus; sit tamen earum usus pius probusque. Meminerit, ad hunc Scopum noctes diesque collimandum, ut Gloriam Dei & Salutem Animarum omnibus nervis assequatur. *Non* ergo *prædicet Seipsum, sed Christum Jesum Dominum.* Ne Hominum Affectus & Existimationem captet Dictionum Phaleris, aut Rerum Novitate; Sono Vocis incondito, aut Gesticulationibus absurdis; ne temere effutiat subitaneas & crudas Notiones, Memoriæ, Pulmonum, aut splendidæ Actionis Ope commendatas: Utcunque enim placeat, aut Vulgi Favorem conciliet hæc perorandi Consuetudo, non revera proderit; tandemque & Concionatores & Conciones dehonestabit.

Jam demum (Fratres in Domino dilectissimi) didicistis (Vestra quidem Experientia potius quam Mea Oratione edocti) quam immodicum, quam insolitum Laborem sufferimus: Cui quis se parem jactare auderet, nisi Deum Nobis Virtutes idoneas sufficere, Noster Hic Apostolus plane testaretur?

Quapropter, Benedictus sit Deus O. M. qui non modo Virtutem in Animum, sed & *Arma*

Militiæ nostræ in Manus benigne dedit; Sacrosanctum dico Volumen, quod Universam victricis & Salutaris Eloquentiæ Artem complectitur. Hinc *Divinus Homo compositus sit, & ad omne recte factum bene comparatus.*

Quanquam autem Officio tam Difficili, tot curis impedito, fungimur; Onus tamen multo levius redderetur, si Greges suam, ad Pastoris Operam adjungerent. Si Patres Matresque Familiâs quicquid è publico Suggesto audiverint, Domesticis suis privatim in Memoriam revocarent; si, ut Sacerdos pro Populo, sic Populus pro Sacerdote Preces ad Deum mutuo funderent; si libenter subessent, si liberaliter sustentarent, si *gemino Honoris præmio afficerent.* Sic mutua Charitate Conjuncti, Sacerdos Populusque lætantes irent in Occursum *Supremi Pastoris & Animarum Episcopi*, immortali ab eo donandi Felicitate. *Amen.*

FINIS.